

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum inprimis malas, concernit**

**Fecht, Johann**

**Durlaci, 1680**

XII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122744)

severat. Ne tamen aliquid à receptâ tum in Scholis & Ecclesiâ Augustini sententiâ doceret, hæc voluntatis flagitia peccata esse negat, quia sint sine potestatis effectu, id est, ut ego intelligo, quia DEUM perpetuò punientem neque lædant, neque proximum exemplo offendant, qui, si in gloriâ sit constitutus, isthanc pervicaciam sine animi commotione intueatur, sin in inferno, ex participatione criminis pari quoque pœnâ afficiatur. Denique cum peccatorum omnium maximum, blasphemiam, peccatum esse inficari, durum videretur, quasi corrigens seipsum, peccatum esse, sed non meritum pœnæ, concedit: de quo, ex iis, quæ circa Scholasticorum sententias dicturi sumus, judicari poterit.

XII. Recensuimus hætenus Ecclesiasticorum in antiquitate Doctorum varias de propositâ quæstione sententias: dispiciendum nunc porro est, quid Theologi Scholastici, qui licet sermone barbari, acutissimi tamen philosophi fuerunt, censente in Epistolâ ad Kirchmannum Chemnitio, de eadem fuerint opinati.

XIII. Igitur Petrus Lombardus, qui primus degenerantem à veteri puritate Ecclesiam in ordinem redigere, scripto sententiarum ex vetustis Patribus, in primis Augustino, confarcinarum libro, ad laboravit, libro IV. distinet. L. c. i. de statu & conditione damnatorum & malorum post iudicium, quantum ad rationem & voluntatem, hanc format quæstionem: *Si mali in inferno peccabunt?* Deque eâ hunc in modum disputat: *Hic oritur quæstio ex præmissis ducens originem. Supra enim Augustinus loquens de malis in inferno damnatis & bonis in caelo glorificatis, dixit: quod nec bonis voluntas nec malis facultas esse peccandi poterit. Et de bonis quidem constat, sed de malis, à quibus voluntatem malam non remouet, quaritur: quomodo sit verum, eos non peccare, cum malam habeant voluntatem? Quidam autumant, illam voluntatem non esse peccatum, sed supplicium tantum. Alij verò peccatum esse fatentur, sed per illud eos non mereri aliquam pœnam, quia non est locus merendi. Illud ergo peccatum dicunt, non esse meritum supplicij, sed supplicium mali meriti, quod in hac vitâ præcessit. De hoc autem Augustinus ita dicit: Tempus acquirendi vitam eternam: Verba allegavimus supra, S. IV. quibus subjicit Magister: Ex his apparet, reprobos in inferno penitentiam sic gesturos, ut per eam pravam voluntatem non deserant: & illa maligna voluntas erit eis ad cumulum pœnæ, per quam tamen non merebuntur, quia*  
nul-